



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Variorum In Europa Itinerum Deliciae**

**Chyträus, Nathan**

**[Herborn], 1599**

**VD16 C 2803**

Bardesholmia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70708)

BARDESHOLMIA.  
IN TEMPLO MONASTERII  
BARDESHOLMII.

Epitaphium Episcopi Vicilini.

Osapii patris hic condita sunt Vicilini.

Addita metra, quæ ipsi vocant quadrangula.

Aldenburch	Præsul	Holsatis	nobile	germen
Præsul	finalis	præstans	tutamen	alumnis
Holsatis	præstans	lumen	purissima	gemma
Nobile	tutamen	purissima	gemma	refulgens
Germen	alumnis	gemma	refulgens	o Viciline.

IBIDEM.

Anno Domini 1554. obiit D. Wolfgangus Pogovvichæ, eques auratus in Buckenhagen hic unâ cum uxore & liberis sepultus.

Hic sua Wolfgangi Pogovvichi membra quiescunt.

Majorum veteri nobilitate sati.

Qui virtute sua dignos sortitus honores,

Clarus ob ingenii splendida dona fuit.

Magnificè gessit partum, quem fulvus equestris

Militia aurata postulat ordo, statum.

Teutonicoq; fuit facundus, & ore Latino.

Mentis ut efferret sensa probanda sue.

Ille nec ingenuas artes didicisse, pudendum

Splendori duxit dedecus esse suo.

Quattuor illustres Danorum regibus aulae

Eloquio rexit consiliisq; suis.

Grande decus patria, quo fortunata vigente

Floruit incolumi Cimbria lata statu.

Vixit honorificè, longævus Nestor ut olim

Verba Pericleo more diserta tonans.

Doctus ubi fuerat, regnum caeleste parari

In Christum viva justificante fide;

Ff iiij

*Spiritus hic posito mortali corpore tandem  
Transit aeterni regis ad astra sui.*

Obiit anno Christi M. D. LIII. die  
Matthiae.

FRIDERICO II. SEPTENTRIONIS  
regi potentiff. monumentum hoc caelo Muarum  
religiosarum est sculptum

á

NATHANE CHYTRÆO.

*Laudarunt in te multi permulta, nec illud  
Improbo. virtutes quis enim sat laudibus ornet,  
Rex Friderice, tuas? laudum sed prima tuarum &  
Summa vel hac una est, uno quod nomine Christi,  
Christiadumq, ejus solidè contentus, in oras  
Nomina nulla tuas quas vis redolentia sectas  
Schismatica admisti, constans, animosus & acer  
Rex, cui Christus amor, Christus decor, omnia Christus.  
Utpote Christiade patre natus, & ipse relinquens  
Christiaden regem electum, cui sceptrum coronamq,  
Calitus Astra ostentans jam jamq, datura est.  
Scilicet istorum auspiciis, procerumq, potentum,  
Quos penes est regem legere atq, amare potestas,  
Et Christo sua regna manent: jamq, ultima Thule  
(Qua nulli Augusto, ut tibi servit, servit unquam)  
Voce typisq, suis sacra edit Biblia, bellè  
Non minús aut nitidè, quàm Francogallia possit,  
Inventrixq, ejus Germania nobilis artis.  
Hac, nisi decipior, laudum Friderice, tuarum  
(Qua & successori ut maneat, sine fine precandum)  
Laudarint quamvis multi in te multa, suprema est.*

HORNS.